

DE HORATIO ET POLLIONE

Acute nuper eius carminis Horatiani quod est de Pollionis historiis (II 1) locos singulos illustraverunt O. Seeck (Wiener Studien XXIV 1902 p. 499—510) et qui eius sententias aut impugnavit aut probavit E. Kornemann (Beitr. z. alten Gesch. III 3 1903 p. 550 sq.). Atque ille conlato loco Plutarcheo (Caes. 13. 3; cf. Kornemann Jhb. f. klass. Phil. Suppl. 22 1896 p. 572 et p. 672 fg. 3) Horatium cum *graves principum amicitias* diceret, respicere demonstravit ad Asini sententiam qui bellum civile non ut plerique putarent Caesaris et Pompei discordia sed potius amicitia ortum esse dixerat; nec minus recte *periculosae plenum opus aleae tractantem et incedentem per ignes suppositos cineri doloso* Pollionem ab Horatio nullam aliam ob causam dici contendit nisi ut narratas a Pollione res gestas significaret: quod quo magis illustraret Kornemann felicissime contulit illud Taciti (hist. I 2) qui se *opus adgredi opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom* profitetur. Nihil aliud idem Horatius egit, cum infra diceret Pollionem *publicas res ordinare, grande munus Cecropio colhurno repetiturum esse, murmure cornuum perstringere aures*, nisi forte Pollionem in rebus publicis versantem, fabulam in scaena agentem, cornicinem exercitui prae-euntem dicere in animo erat. Praeterea locos Livii XXI 1. 2 (*adeo varia fortuna belli ancepsque Mars fuit, ut propius periculum fuerint qui vicerunt*), Taciti hist. I 1 (*initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinus consules erunt*) optime ille, Taciti hist. I 4 (*ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur*) hic in comparationem vocarunt, nec minus acute ille aliquantum interesse inter ea quae iam nunc (v. 17) Pollio praestet atque quae etiam expectentur (v. 21 sqq.) observavit. Tantum viris illis doctis concedendum videtur. Nam quod Kornemann praeterea *principum* non modo *amicitias* sed etiam *arma* dicere Horatium

susplicatur, vel propter vocabulum *graves* non eleganter poeta dixisset et ipsorum principum arma minus bene etiam expianda esse putaret. Namque illi Caesar Pompeiusque occiderant et ex his Octaviano Antonioque non licebat illum significare: accedit quod non sine certo quodam consilio ut enumerationem absolveret Horatium vocabulum *arma* singulari quodam strophae loco posuisse credibile est. Namque poeta ipse interpret *arma nondum expiatis uncta cruoribus* nihil aliud dicit nisi *ferrum* quod *cives acuerunt quo graves Persae melius perirent* (I 2. 21 sq.): male igitur principum ea arma dixerit, quae civium cruore contaminata civium Romanorum dici arma decebat. Quare quod Kornemann verba *amicitias* et *arma* eadem inter se ratione opponi censet atque carminis initio *motum* et *belli* fallitur: neque solum ea de causa quam ostendisse mihi videor. Namque idem non recte *motum civicum* referre videtur ad res ab anno a. Chr. n. 60 ad annum 49, *bellum* ad res postea gestas. Quod si voluisset Horatius, infelicius non potuit rem instituere, siquidem in *motu* illo inessent *belli causae* narrationisque principium eam ipsam ob causam Pollio inde a Metello consule fecerat, ut ipsas quae sibi viderentur belli causas illustraret. Accedit quod cives iis temporibus minus movebantur quam, id quod ipse Pollio docebat, principes¹. Quare nihil aliud restare videtur nisi ut primo versu nihil significare Horatium censeamus nisi totum Pollionis opus atque de consulto *belli* nomen hoc loco vitavisse, lenius *motus civilis* (sive quod metro postulabatur *civici*) praetulisse eum censeamus. Velut ipse Augustus cum de re quadam forsitan minus legitima diceret eo nomine usum esse certis argumentis Mommsenus (ed. II p. 45) demonstravit (Mon. Ancy. II 26: (*cepi id*) *sacerdotium aliquod post annos eo mor(tuo qui civilis motus) occasione occupaverat*), quo loco in vertendis Latinis minus feliciter functum Graecum interpretem (VI 2) πολιτικαῖς ταραχαῖς posuisse Kaibelius (ed. Momms.² p. 198) cognovit; namque ubi *bella civilia* invenerat (I 13 et VI 13) non dubitavit graece scribere ut fieri solet πολέμους ἐμφυλίους (I 19 et XVII 17). Scilicet verecundia quadam tenetur Horatius in commemorandis bellis civilibus, velut I 2. 21 sqq. non dixit quod singulare ac scelestum erat *contra cives* acuisse ferrum cives nec pugnas *contra cives* civium factas esse, immo iis qui legunt hoc animadverten-

¹ Aliter Livius utpote annorum seriem observans rem instituerat: cf. perioch. lib. CIX: *causa civilium armorum et initia referuntur*.

dum reliquit, cum diceret *melius* ferro perituros fuisse Persas ac *vitio parentum* id est ipsis illis scelestis pugnis iam raram esse iuventutem; non aliter iudicandum videtur de illo (I 35. 34): *cheu, cicatricum et sceleris pudet Fratrumque*. Nam ut e tribus his rebus quae sequitur superiori illustrandae est, ita illo de quo dicimus loco quid sit motus civicus explicatur eo quod sequitur nomine belli. Optime igitur ad primum carminis versum illustrandum Seeck comparari iubet illud quod supra dixi Taciti (Hist. I 1); cui equidem addo Sall. hist. fg. 1 M: *Res populi Romani MLepido QCatulo consulibus ac deinde militiae et domi res gestas composui*. Atque quoniam aliquam certe inter Pollionem ac Sallustium intercessisse rationem Suetonius (de gramm. c. X p. 108 sq. R.) testis est, haud a re videtur esse praeter Tacitum hunc scriptorem explicandi causa arcessere. Ipse quidem Kornemann (Jhb. Suppl. 22 p. 648) hos tres viros quodam vinculo contineri dicit. Hac autem ipsa re adducor, ut vocabulo *vitia* v. 2 Horatium non ut Kornemann (p. 605, 615 sq., 637, 645) eas res significare censeam quas duces atque imprimis Pompeius in bello peccaverint aut infeliciter gesserint, sed vitia hominum illius aetatis communia, quibus bellum natum ac ductum sit. Non aliter Sallustius initio historiarum rem instituerat, cuius rei non unum habemus testimonium (vide fg. 11, 12, 13, 16 M., ac confer Catil. 3. 3 sq., 5. 9—13. 5, Jug. 4. 7), neque aliter ipse Horatius de eodem bello civili: I 2. 23 *vitio parentum*, 47 *te nostris vitiis iniquum*. Neque belli licebat vitia dicere quae imperatorum erant. Ipsumque de illis vitiis copiose dixisse Pollionem Kornemann (p. 625) ostendit. — Iam quos dicat Horatius belli modos, non satis apertum: an quibus magnis et temporis et locorum finibus bellum illud circumscribatur Pollionem exordio exposuisse suspicemur? Solebant sane a Thucydide historiarum scriptores eo dociles et attentos legentium animos efficere quod magnitudinem belli illo demonstrabant argumento: quid quod eodem ipse utitur Horatius versibus huius carminis inferioribus, idem de hoc bello civili multis persequitur Florus IV 2, quae describere longum est, atque ipsum Pollionem hunc locum non praeteriisse Kornemann suspicatus est (Jhb. Suppl. 22 p. 623). Utcumque est, hunc versum de exordio libri Asiniani esse apparet non minus quam quae secuntur verba *ludumque Fortunae*, quorum similia Livium in parte operis praefari Seeck optime ostendit¹.

¹ Cf. Sall. Jug. 5, 1.: *bellum . . . magnum et atrox variacque victoria fuit*.

Cui rei ut Livius artificiose dictum aliquid *‘ut propius periculum fuerint qui vicerunt’* subiunxit, ita Pollionem credibile est quam supra memoravimus de principum amicitiiis sententiam contra volgarem opinionem hoc potissimum loco professum esse, siquidem fieri vix poterat, quin illud de toto bello iudicium praeponeret narrandis singulis rebus gestis. Ita optime adiungere ei licebat de his ipsis rebus iudicium atque *arma dicere nondum expiatis uncta cruoribus*. Quae verba cum Seeck doceat ad pugnam Carrhensem esse referenda, oblocutus Kornemann recte contendit, id quod ne Seeckium quidem prorsus fugerat, ita Horatium vituperare videri Octavianum, quod partes scelus expiandi sibi datas (I 2. 29) agere etiam cunctaretur. Qua in re miror quod neuter vir doctus illius quod iam saepius memoravi carminis (I 2) mentionem fecit, in quo expressis verbis est de vitiis belli civilis, de scelere expiando, de piaculo quod extremis verbis significatum (*neu sinas Medos equitare inultos* v. 51) accuratius explicatur eo carmine quod Kiesslingium secutus Seeck attulit (I 35). Non igitur de una pugna eaque a civili bello aliena cogitare Horatium consentaneum est, sed de civium cruore toto illo bello effuso, quo *nulla carebat ora* (v. 36). Qui si tanti fecisset cladem ad Carrhas acceptam, vix debebat infra (v. 31 sq.) eosdem Medos dicere *audivisse sonitum Hesperiae ruinae*, cuius ipsi vel auctores viderentur. — Restat ut dicamus de verbis *periculosae plenum opus aleae*, de quibus Seeck novam sententiam protulit assentientemque nactus est Kornemannum. Namque cum constet Pollionem fusius dixisse de consilio a Caesare antequam Rubiconem transiret habito, cui ipse interfuerat, atque Caesaris illud ἀνεπίφθω κύβος rettulisse, cumque constet illa de principum amicitiiis e Pollionis libro Horatium petivisse, haec quoque verba Horatium libri Asiniani memorem honoris causa scripsisse coniecit. Itaque Horatius ei videbatur commemorare Pollionis exordium (v. 1—3) quaeque ille scripserat de societate inter Caesarem Pompeium Crassum inita (v. 3, 4), de pugna ad Carrhas facta (v. 4, 5), de Caesare Rubiconem transgresso (v. 6) atque rerum ordinem optime servare. Sed haec opinio stare non posse videtur. Nam ut non dicam ea quae secuntur de *ignibus suppositis cineri doloso* minus bene de bello ab anno 49 gesto quam de superioribus temporibus dici, vix credo illius aetatis homines Romanos cum de *periculosa alea* audirent quicquam aliud intellexisse atque ancipitem et periculosam fortunam; neque enim solum Ovidio (a. a. I 376) licebat dicere: *talibus admissis alea grandis inest*, sed vel in pedestri oratione

est: *in dubiam imperii servitiique aleam imus* (Liv. I 23. 9; cf. Weissenborn a. h. l.). Accedit quod Horatius, si certum quendam libri Asiniani locum significare in animo habebat, non debebat dicere totum opus *plenum esse periculosae aleae*; denique ne recte quidem Caesaris (sive mavis dicere Pollionis) consilium expressisset: Caesar enim se iam deliberandi ac dubitandi finem facere ac certo consilio iacere aleam de rebus futuris securum significabat ac propterea imperativo utebatur — nam deterius Suetonius (Iul. c. 32) *iacta est alea* dicentem facit¹ —, Horatius quam incerta et anceps belli fuerit fortuna indicat².

Haec si recte disputavimus sequitur ut duabus illis strophis de uno exordio libri Pollionis dicere Horatius videatur. Nam fere singula quaeque sive propter res ipsas sive propter aliorum scriptorum similitudinem exordio tribuere licebat. Illud autem Pollionem amicis recitavisse aliquanto credibilis est quam totam illam rerum ab anno 60 ad a. 49 gestarum seriem. Quo audito cum magnitudinem operis a Pollione suscepti perspexissent, facere vix poterant quin cum Horatio ab auctore peterent, ut paulum cetera intermitteret studia ac totus incumberet ad historias perficiendas. Neque iusta causa carebant qui de illo libro summa sperarent, siquidem unam interim particulam confecerat atque amicis recitaverat Pollio (v. 17—20). Quos versus ipsos quoque de pugna Carrhensi esse cum ne Seeck quidem pro certo affirmare ausus sit, cum iis qui antea Horatium interpretati sunt ad Pharsalicam referre praestat. Hanc igitur iam tunc scripserat et recitaverat Pollio³, audiverat Horatius, cetera (v. 21 sqq.) ad Catonis mortem audire sibi videbatur, a Pollione non minus praecclare scriptum iri sperabat. Ita enim acute et vere hunc locum interpretari Seeckium argumento sunt ipsa Horati verba et loci similes III 6. 23 sqq. *iam nunc . . . mox*, et III 4. 6 *audire videor* de iis quae animi ardore abreptus non vera cognoscit, sed audire sibi videtur. Dicit quispiam Bentlei auctoritatem secutus audiendi verbum huic loco minus aptum esse et ne Seeckium quidem difficultatem solvisse cum de recitationibus futuris inter-

¹ Menandri illud a Caesare prolatum melius imitatur Petronius de bello civ. v. 174: *iudice Fortuna cadat alea*.

² De periculis bellorum et varietate fortunae in prooemiis dicunt Sall. Iug. 5. 1, Liv. XXI 1. 2 quos supra attuli.

³ Similia de Vergilio suspicatur Heinze, Virgils epische Technik p. 255.

pretaretur. Namque Horatium semper inducere Pollionem ipsum agentem quae acta esse narret, velut *perstringis*, inquit, *aures*. Vel eam igitur ob causam Bentlei coniecturam praeferendam ac scribendum esse: *videre magnos iam videor duces*. At quae proxime antecedunt, aliter sunt comparata: *litui strepunt, fulgor terret*; et quae secuntur nondum scripserat Pollio: non igitur licebat Horatio praescribere quo modo singula scribenda essent; immo nihil aliud significandum erat nisi se ceteras quoque res gestas e Pollionis descriptione cogniturum esse sperare. Quod quo verbo nisi audiendi significare debuerit nescio; ac si mavis non de recitationibus cogitare, age historiam apud antiquos partem artis oratoriae fuisse memento, illisque quo loco nos dieimus lecturos nos esse sperare dicendum fuisse de audiendo.

Carminis quae restant non sunt de Pollione, sunt de bello civili atque argumento sunt, quanti tunc fecerint Sallusti libros (Seeck p. 508 sq.). Quos Horatium bene novisse interpretes e carmine II 12 concluderunt: hoc autem carmine quod ad eos legentium animos advertit, non sine acumine advertit, si recte supra disputavimus de Sallustio et Pollione.

Monasterii Guestfalorum.

P. E. Sonnenburg.
